



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Directo-||rvm Exercitio-||rvm Spriritva-||livm P. N.|| Ignatii

Acquaviva, Claudio

Ingolstadii, 1592

VD16 A 125

Capvt VI. De domo tradendi nostris exercitia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60966](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60966)

nec tradenda sunt eis integra exercitia, sed seruandus est modus, qui indicatur in annot. 18. ex viginti. Ad hoc autem caput pertinent etiam sc̄eminæ, quarum aliquæ interdū expetunt exercitia, atq; ideo cum iis idem modus seruari debet, qui cum rudibus, nisi esset aliqua tam bono iudicio, & ita capax, rerum spiritualium, tantumque ocij domi haberet, vt exacte omnia, aut maiorem partem facere possit, tūc enim nihil impediret etiam hæc fieri; sed cum vtroq; genere illud obseruari deberet, quod prudentiæ est, vt ipsæ in ecclesiam nostram veniant ad accipiendas meditationes & ita caute procedatur, ne vlla suspicio, aut scandalum sequatur: quam etiam ob causam fortasse expediet, vt non dentur meditationes in scriptis, sed voce, ne homines existiment aliquas esse epistolas. Quod si scripto vtendum erit, fiat omnino discrete.

De modo tradendi nostris exercitia.

CAPVT VI.

QUOD ad nostros attinet, primum quidem iis, qui Societatem ingrediuntur.

C

diun-

diuntur, omnino debent dari exercitia omnia integra, & iuxta formam in libro præscriptam. Cum enim hoc sit vnum ex experimentis, quod N. P. Ignatius requirit, requiritur etiam, vt fiant plane, vt iacent, excepta tamen electione.

PRAETEREA in progressu temporis cum contigerit, vt se colligant ad facienda exercitia, debebunt hæc ipsa aliquoties, vt bis, vel ter, facere, si non integre, saltem ea quæ sunt primæ hebdomadæ, & aliquot meditationes ex sequentibus, vt de regno Christi, Incarnatione, tentatione domini, institutione Sanctissimi Sacramenti, Passione, & illa, quæ est de amore excitando, prout opportunum fuerit, & tempus concesserit. Quod propterea faciendum est, quia cum deinde exercitia aliis daturi sint, omnino oportet, vt ipsi ea prius bene nota, & perspecta sibi fecerint. Quam etiam ob causam oportet, vt præter meditationes, bene intelligant, ac teneant vsum quarundam regularum, & annotationum. v. g. annotationes viginti initio libri exercitiorum

tiorum positas, examina, additiones decem in fine primæ hebdomadæ, regulas electionum, & alia eiusmodi; & ideo legere debebunt librum, & bene intelligere, ac de quo dubitabunt, quærere ab eo, qui eis tradit exercitia.

CETERVM postquam ea, vt dictum est, aliquando fecerint, & reperierint, reliquo deinde tempore, dum nondum ita exercitati erunt in vfu meditationum, etsi in quotidianis meditationibus potest quisque pro sua deuotione, vel necessitate ea meditari, quæ Dominus suggererit, ex Euangelio, Scripturis, vel alia (re tamen pro securiore directione, ac utilitate maiore cum Præfecto rerum spiritualium, aut cum Superiore communicata) tamen cum agitur de tempore aliquo certo meditationibus, & secessioni tribuendo, quod nos communiter exercitiorum vocabulo appellamus, quia fere expedit ab aliqua purgatione inchoare, conuenit vt aliqua exercitia purgatiua non prætermittant, vt de morte, & de peccatis, præser-

tim reflectendo ad ea, quæ in religione admiserint. Neque tamen expedit dare in scriptis exercitia ista accommodata religioso statui, vt exercitia P. N. Ignatij integra, vt sunt, conseruentur, nulla re addita, vel trāsformata, ac præterea quia etiam ipsi maiorem fine dubio gustum, & motum sentient ex iis, quæ ipsimet inuenerint, quàm quæ ab alio ita minute enucleata acceperint. Sed tamen Instructor potest aliquam instructionem, aut lucem dare, & tanquam in via ponere; monendo exercitantem, vt ipse sibi applicare consuecat, vt v. g. in fundamento, postquam cogitauerit finem hominis, actuet hunc finem in eo statu, in quo nūc est, vt quoniam iam non potest esse indifferens ad diuitias, & paupertatem, applicet hanc indifferentiam ad eas materias, quæ occurrunt in Societate, & sic de aliis.

NOTANDVM est etiam primā hebdomadam debere in nostris si semel exacte exercitia fecerint, ordinarie satis breui tempore expediri, ita vt etiam interdum minori spatio quam tridui, vel etiam aliquando bidui expediri possit,
 si ita

si ita videatur, vt gradus fiat ad secundam hebdomadam, in qua vt plurimū diutius immorandum est. Quare hoc potissimum ex Institutoris iudicio pendere debet, qui si viderit aliquem maiore purgatione indigere, poterit, & debet eum diutius in ea retinere, ante omnia conando, vt eum inducat ad desiderandam sui ipsius reformationem perfectam.

Materia autem circa quam hæc reformatio versari debet, hæc fere est, passiones non bene domitæ, mali habitus, peruersæ inclinationes, vt ad honorem, & æstimationem propriam, vel propriam voluntatem, ad corporis commoditates &c. tentationes ab extrinseco provenientes, præsertim vehementes, & crebræ, deinde etiam ministeria Societatis, vt concionari, audire confessiones, habere scholam; denique omnes actiones, quas aliquis componere, & ordinare velit, vt comedere, dormire, studere, agere cum externis, vel cum nostris, & alia.

Quare hoc primum curari debet in eo, qui facit exercitia, vt quàm maxi-

mam sui ipsius acquirat cognitionem, percurrendo tempus ante actum, & occupationes, vel officia, & in iis perpendendo tum multitudinem defectuum suorum, tum etiam gravitatem, ratione status, & obligationis, tum denique etiam considerando causas, & origines, & radices eorum vitiorum. Ad quam etiam reformationem valde utile est, ut in fine primæ hebdomadæ fiat confessio generalis de toto tempore religionis, non quidem semper quoties exercitia repetuntur, sed cum aliquis peculiariter motus à Deo vellet instituere novam vitam, seque perfectius reformare. Hoc enim usu compertum est magnopere multis profuisse, & valde iuuisse ad cognitionem sui, & emendationem.

Quòd si viderit Instructor eum, qui exercetur, hac ratione iuandum ad eum finem consequendum, qui intenditur, poterit etiam aliquas meditationes statui cuiusque vel necessitati præsentis accommodatas addere, ut de beneficio vocationis, de tribus votis, de
causis

causis cur vota renouantur, & de ipsa formula votorum nostrorum, de diuinis beneficiis, de periculo tepiditatis, & huiusmodi: interdum etiam ex Summario constitutionum, præsertim ex præcipuis regulis, quibus religiosa fere perfectio continetur, vt 11. & 17. & similes; & in vniuersum ea sint materiæ, quæ ad timorem, & amorem Dei, ad sui ipsius odium, virtutis studium, rerum visibilium contemptum, æternarum desiderium, atque charitatis ardorem augendum pertinent. Ad faciliorem etiam introductionem eorum, quibus vel non est facultas, vel non vacat per se inuenire, poterit via aperiri ad mysteria vitæ, & passionis Domini, si nonnullæ veritates Theologicæ proponantur. v. g. cum de Incarnatione agitur, si causæ eius, & fructus explicentur; aut cum de passione, si causæ acerbitatis eius: si etiam insinuentur mediæ eam meditandi, v. g. ad compatendum, ad imitandum, ad admirationem, & sic de aliis.

POSTREMO qui sunt iam prouectiores in reb. spiritualibus, & meditan-

do magis exercitati, de quibus par. 6. c. 3. §. 1. iis si interdum ad spiritum colligendum, & feruorem hauriendum se recipiunt, vel ad aliquod opus aggrediendum, vt missionem, aut aliquid eiusmodi, cum nec eadem sit omnium dispositio, nec vna mensura, non videtur quicquam præscribendum circa materiam, sed possunt ea meditari, quæ sibi vtilia putauerint ad eum finem consequendum, quem intendunt. Credendum est enim quod ex notitia quam ex exercitiis Patris N. Ignatij antea iam habebant, & ex vnctione spiritus adiuti, inoffenso pede, immo magna cum vtilitate per hanc viam current.

QVOD attinet ad electionem status, ea non est nostris danda in exercitiis. De electione autem negotij, aut actionis alicuius consultare non est proprium exercitiorum; sed potest fieri etiam extra exercitia omni tempore, & occasione, & ideo in hac etiam diligenter instruendi sunt nostri, vt sciant bene vti regulis eligendi ad indagandam Dei voluntatem, & beneplacitum, vt cum Superiores debent statuere de re aliqua dubia,

dubia, maximè si non possint cum suis Consultare, vt dicitur 16. reg. Prouincialis, & denique in rebus omnibus, quas coram Deo constituere, ac definire oporteat, semper admodum iuuat illa praxis, quæ in eligendo præscribitur, de qua infra prolixius agemus, & inde peti poterunt, quæ Inostros iuuare possint ad intelligendam Dei voluntatem in omni eiusmodi re, iuxta cuiusq; rei qualitatem.

De prima hebdomada in uniuersum.

CAPVT VII.

OMNIA HAEC EXERCITIA à Patre N. Ignatio in quatuor hebdomadas distributa sunt, quæ quidem hebdomadæ non tam numero dierum, quàm materiæ genere distinguuntur, & ideo non necesse est, vt septem, vel octo dierum circulus in singulis consumatur, sed sufficit vt illi affectus, vel fructus, inueniantur, qui in vna quaq; exquiruntur.

Prima continet cõsiderationem peccatorum, vt eorum sceditatem cognoscamus,

C 5

scamus,